

suo in eorundem ac praefatorum Universorum Nobilium Castri maioris Kemlek praescripti oblati, exauditi et admissi, possessiones et terras ipsorum Nobilium Jobbagyonum dicti Castri a nexu et iugo omni conditionaria servitute praefati Castri et ab eodem Castro eximendo, separando, sequestrando, distinguendoque et removendo, eosdem Nobiles Universos Jobbagyones Castrenses verae Nobilitatis titulo insigniendo, praemissas Universas et totales possessiones et terras eorum cuilibet ipsorum sicuti pro tunc possedissent et in eorum Dominio pacifice extitissent, more suae Donationis, sub sincerae Nobilitatis titulo, cum cunctis earum utilitatibus et pertinentiis in eorundem et successorum suorum perpetuam haereditatem adscripsisse, eosdem etiam et eorum posteritates omnibus privilegiis, gratiis, immunitatibus, exemptionibus et libertatibus instar caeterorum Regni Slavonia verorum Nobilium perpetuis futuris temporibus Autoritate sua Regia et potestatis plenitudine uti, frui et gaudere debere plenarie decrevisse et annuisse, seque iidem Nobiles ordine praenatarum communium earundem possessionum et portionum possessionariarum nullo Contradictore comparente statui fecisse, ex postque antefato quondam Domino nostro Mathia Rege praemissam Donationem dicti quondam Domini Sigismundi Regis eisdem Nobilibus factam, modo simili patrocinio privilegii sui mediante roborasse et confirmasse reperiebantur manifeste. Propter quod praescripti Nobiles eiusdem Districtus maioris Kemlek vigore antefatae exemptionis separationisque et sequestrationis a praescripto Castro Kemlek, nec non Nobilitationis eorundem Nobilium, per jam fatum quondam Dominum Sigismundum Regem ordine praetacto factis, iidem Nobiles in caetum, numerum et catervam verorum Regis et Regni Nobilium connumerari deputarique et adscribi, iidemque Nobiles verae Nobilitatis titulo uti, frui et gaudere debere, praefato Domino nostro Vladislao Regi in eadem sede pro tribunali assidente ac Reverendissimis in Christo Patribus Dominis Thomae Agriensi summo et Secretario Cancellario Regio, Osvaldo Zagradiensi, Valentino electo et confirmato Varadiensi, Ladislao Gereb Transylvano, Joanni Vesprimiensi, Stephano Sirmiensi et Personalis praesentiae eiusdem Domini Nostri Regis Locumtenenti, et Lucae electo Bosnensi, Thesaurario Regio, Ecclesiarum Episcopis; nec non Dominico Praeposito Albensi, item Spectabilibus et Magnificis Dominis Stephano de Zapolya Comiti Scepusiensi perpetuo et Regni Hungariae Palatino, ac Nobis nec non Comiti Petro de Bozin et de S. Georgio, Ladislao de Losoncz Tavernicorum, Petro Gereb de Vingarth Janitorum, Bartholomaeo Dragffy de Belthewk Cubiculariorum Regalium Magistris, et Nicolao de Hedervara, caeterisque Baronibus et eiusdem Regni Hungariae Nobilibus Magistrisque Prothonotariis et Juratis Assessoribus, Nobiscum in examine huius causae existentibus et in praemissis diutius deliberantibus perspicue cernebatur. Eorundem igitur Dominorum Praelatorum et Baronum Regni Nobilium, Magistrorum, Prothonotariorum, Juratorumque Assessorum nostrorum quaesito et assumpto superinde Consilio praemature, praefatos Universos et singulos Nobiles in pertinentiis et Districtu dicti Castri maioris Kemlek commorantes eorundemque haeredes et posteritates Universos, illis omnibus exemptionibus, Nobilitationibus et aliis quibuslibet gratiosis Praerogativis per dictum quondam Dominum Mathiam et Sigismundum Regem eisdem indultis et concessis, tanquam veros Regni Hungariae et Slavoniae Nobiles praemisso Nobilitatis titulo frui, gaudere atque uti semper et futuris successivis temporibus ip-